



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 22. Papa Gallis aperte adversatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Secul. XVI.  
A.C. 1503.

est; nihilominus prima Dominica Octobris a præfato Cardinale Episcopus consecratur, altera vero die Valentini Dux cum suis equitibus, ac pedestri agmine Romam reversus, in Palatio Vaticano domicilium fixit, eumque proxima feria tertia Cardinalis tit. S. Praxedis invisit. Demum die octava Octobris, quæ in Dominicam incidit, summus Pontifex super gradus Ecclesiæ Vaticanæ a Cardinale S. Georgii solemnè pompa in Pontificum inaugurationibus consueta, Tiaram recepit.

§. XXII.

*Papa Gallis aperte adversatus.*

Neo-electus Papa folio vix conscenso, quantocius Gallos ex ditionibus Ecclesiæ excedere iussit, ipsum quoque Cardinalem de Ambasia durius habuit, qui a Romanis illusus, cum Ursinis & Baglionibus novum foedus inire moliebatur, hi vero, quamvis ex Gallorum ære copias conscripsissent, cum Valentini Ducem a Gallis defendi cernerent, iis relictis sua studia Hispanis devoverunt. Dux hac rerum vicissitudine territus, ac Romæ securitati suæ minime cautum esse ratus, Jordanum Ursinum unicum hujus familiæ surculum adhucdum Gal-

*Raynald.  
hoc ann n. 12  
Raph. Volat.  
ter. lib. 22.*

Sæcul. XVI A C. 1503. lis additum supplex adiit, ut eum in ar-  
cem suam recipere vellet.

## §. XXIII.

*Ursini Valentinensem Ducem capere  
moliti.*

Cum vero Valentinensis ductore Jacobo Sillyo Cadomi Prætore plusquam centum armatorum præsidio munitus, ad arcem deduceretur, Ursini in eum, ipsumque agmen irruunt, ac tertio impetu in illos facto, ingenti clade affectos profligant. Sillyus inter hæc arcta prehensus, nil reliquum habebat, quam ut lectica, in qua Dux ferebatur, in medio suorum posita per gladiatorum acies erumperet, ac ferro sibi viam Romam versus aperiret; nihilominus gravissime saucius ægre per ultimas cædes elabatur, Ducemque hostium furori eripit, qui ad arcem S. Angeli fuga sibi consuluit, a Præfecto perbenigne exceptus; hunc enim Ducis Pater amplis favoribus cumulabat, nec neo-electus Pontifex officio spoliabat. Tandem etiam die duodecima Octobris feria quinta Romæ promulgata est armorum societas Columnenses inter & Ursinos eo fine inita, ut in Neapolis Regnum adversus Gallos Hispanis auxilia submitterent: Verum summo Pontifici adversa valetudine presso, nec diu vita super-